

Heinrich Rahn Wilhelm Otto Drebbler von

Disputatio Iuridica De Exheredatione

Rostochii: Kilius, 1645

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766443647>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



DISPUTATIO JURIDICA

De.

EXHERE-
DATIONE,

Quam

Auxiliante & favente divini numi-
nis gratia & auxilio

SUB PRÆSIDIO

Viri Amplissimi, Consultissimi atq; Excellentissimi

DN: HEINRICI RAHNEN, J. D.

& Professoris publici in incluta ad Var-
num Academia, Domini & Præceptoris sui
ætatem colendi,

publico eruditorum examini submitte

WILHELMUS OTTO à DREBBER,
AUTHOR & RESPONDENS.

*In Auditorio Majori horis antemeridianis ad
diem 15. Martii.*



ROSTOCHII,


Typis NICOLAI KILLII, Acad. Typogr.

ANNO M, DC, XLV.

EXHIBITION

ANNALS OF THE UNIVERSITY OF ROSTOCK


HENRIK



WILHELM

ANNALS OF THE UNIVERSITY OF ROSTOCK

ANNALS OF THE UNIVERSITY OF ROSTOCK



THESIS I.



Xheredationem deducimus à præpositione ex & heres, quasi dicas heres, pro herede enim se gerere est, pro hero seu domino se gerere, ita veteres heredes dominos appellabant. §. item extraneus 6. l. de hered. qualitat.

& differ.

Expositio.

§. 1. Ad rectè docendum oportet primò evolvere nomina. Nominibus enim in cognitionem rerum deducimur. l. 1. ff. si cert. pet. §. 29. l. d. Legat. Ne itaque statim in principio aberremus, brevem nominis enodationem definitioni reali præmitteremus.

§. 2. Vocabulum exheredationis deduximus à præpositione ex & heres, sive herus, eo quod successor in defuncti bonis & patrimonio dominium consequatur, l. 24. l. 70 ff. de V. S. l. 1 ff. de successor. Edict. l. 11. ff. de lib. & posthum. hinc domestici heredes dicebantur bonorum participes, sicut Menedemus Terentianus dicit: nec fas est me ulka voluptate frui nisi ubi ille hic saltè venerit meus particips. Terent. Heav.

Cujac. obs.
& emen.
dat. lib. 5.
c. 10. in fin.

§. 3. Non obstante, quod prima syllaba in heredis vocabulo producta in heri verò correpta; videmus enim in aliis vocibus sæpe idusu venire, sic primam lego habet brevem, nomen legis primam longam, uti similibus verborum catalogum apud Gellium reperire licet.

A. Gellius
noct. attic.
lib. 12. c. 3.

§. 4. Insuper jcti in deducendis vocabulorum originibus non imitantur Stoicos, qui ut Cicero ait curiosè nimis vocum etyma scrutando ferme delirant; sed sequuntur potius rem ipsam, quam literarum ordinem, & syllabarum quantitatem.

Cic. lib. 3.
offic.

§. 5. Deducunt alij ab hærendo, vel quia unus hæres alteri quasi cohæret & conjungitur.

§. 6. Nonnemo hæredem ab ære derivat: i. e. pecuniâ, quam

A

CK

ex hereditate acquirit. Hinc Cicero hæreditatem definit pecuniam à defuncto relictam, *arg. l. 5. l. 178. l. 222. ff. de V. S. l. 14. §. 8. ff. ad S. C. m. Trebell.*

*Senec. de
benefic. 6.*

§ 7. Quodammodo tamen inter sese distant, ut Justinian Imp. ipse innuit. *Inst. de Reb. corpor. & incorpor.* aliud quippe hereditas, aliud res, quæ per eam acquiritur. Quod Seneca non attendit inquitens: istæ argutæ ineptiæ sunt, qui hereditatem negant usucapi posse, sed ea quæ in hereditate sunt, tanquam quicquam aliud sit hereditas, quam ea, quæ in hereditate sunt.

*Bartol. in
l. quidam
cum filium,
ff. de V. O.*

§ 8. Exheredare nihil aliud est, quam hereditate & succedendi jure aliquem privare. Accipitur imprimis dupliciter propriè & impropriè. Impropriè quando quis qui necessariò non erat instituentus, exheres dicitur, *arg. l. 65. l. 170. ff. de V. S. g.* Spurius vel alius ceteri legitima non debetur, *l. 132. ff. de T. O.* Propriè exheredari dicuntur ij, quibus hereditas defuncti natura & lege debetur, e. g. liberi.

§ 9. Liberorum autem latior est significatio quam filiorum, *l. 84. ff. de V. S.* Comprehenduntur enim tam sui quam emancipati, tam nati quam nascituri, tam filii quam nepotes, &, ut in summa proloquar omnes descendentes, *l. 200. ff. de V. S.*

§ 10. Vocabulo exheredationis nonnulli comprehendunt præteritionem, sed immane quantum inter se distant. Præteritus enim is dicitur, qui neque heres institutus, neque exheredatus expressè. Sed in exheredatione necessarium est nominatim filium ab hereditate & succedendi jure excludere, §. 1. *l. hic. l. 1. ff. de liber. & postum.*

*Alciat. l. 20
disposit.
c. 28.
Halicar. l.
2. antiq.
Rom.*

§ 11. Synonymum exheredationis faciunt abdicationem, sed minus commodè; In eo enim differunt, quod abdicatio fiebat in vita patris, exheredatio post mortem. Exheredatio est hereditatis & successionis, abdicatio etiam aliarum rerum, *l. 21. ff. de stat. hom. l. pen. ff. de Offic. præsid.* Plutarchus in Themistocle referente Alciato, dicit, quod Romani usurparint abdicationem in summa egestate & paupertate, cum filiis alimenta præstare nequibant. Dionys. Halicarnassens refert, Romulum necessitatem colonis imposuisse educandi ex prole masculos, & è filiabus primogenitas, reliquam verò prolem exponi permisisse.

§ 12. Sed damnata est hæc abdicatio Romanorum, *l. 6. C. de patr.*

29
patr. potest. jura namque sanguinis nullo jure dirimi possunt, §. 11 l. de jur. N. G. & Civ. l. 8. de R. 7.

Th. II.

Exheredatio est juris succedendi, quod alicui in bonis defuncti competebat, ob certas causas jure approbatas privatio, legitimè à testatore in testamento facta.

Expositio.

§. 1. Genus exheredationis est privatio, ubi per privationem non intelligimus absentiam rei in subjecto capaci, quam principium physicum faciunt, sed exclusionem personæ, sive ademptionem eorum commodorum, quæ ex adita hereditate resultassent.

§. 2. Differentia continetur reliquis verbis, quæ causas exheredationis & ipsius formam complectitur.

§. 3. Dictum est in definitione legitimè à testatore in testamento facta. Quod tum accidit si pater filium exheredem fecerit consultò, non temere aut iracundiæ fervore eò adactus; quod si fiat, non valebit hujusmodi exheredatio. l. 19. C. de inoff. testam. Deinde ut fiat nominatim, §. 1. l. h. l. 1. ff. de liber. & posthum. puta vel nomine, vel prænomine vel cognomine filii expresso, ut constat de quo filio pater locutus fuerit, l. 8. dict. tit. idq; & tum fieri censetur, si filium dixerit, non adjecto nomine proprio, scilicet si alius filius patri non exstet. l. 2. ff. de lib. & posthum. imò & per certam demonstrationem fieri potest. l. 24. ff. d. condit. & demonstrat. Demonstratio enim nominis vice fungitur. l. 6. ff. de reb. credit. l. 6. in fin. ff. de R. V.

§. 4. Quæri ab aliquo posset, si quis unicum filium habeat, & dixerit, omnes filii mei exheredes sunt, an ejusmodi exheredatio valeat? Quod affirmo, per l. 25. ff. de lib. & posthum. Quamvis enim pater generalibus verbis usus sit de uno tamen hoc ipsum sensisse constat.

§. 5. Ad formam exheredationis ulterius requiritur ut pure fiat, non sub conditione l. 3. §. pure ff. de lib. & posthum. l. 1. pr. de hered. instit.

Δ

§ 6.

§ 6. Præterea requiritur ut aliquis rejiciatur à tota hereditate, non à re certa, veluti fundo, l. 19. ff. de lib. & posthum. Itemque à toto gradu, si unus; si plures, ab omnibus, l. 3. §. 2. 4. 5. 6. l. 14. §. 1. ff. eod. l. 43. §. 2. ff. de vulgar. & pupillar. substit.

§. 7. Deniq; exheredari quis debet testamēto perfectō, nō codicillis. Codicilis n. hereditas nec dari nec adimi potest, §. Codicillis, 2. l. de Codic. l. 14. C. de testamēt. l. 2. l. 7. C. de Codicill. l. 10. ff. de jur. Codicill. l. Scævola. 76. ff. ad Scem Trebell. Codicilli quippe ultimam testati vel intestati voluntatem complectuntur minus solenniter, citra directam heredis institutionem, cum tamen heredis institutio sit velut caput & fundamentum totius testamenti. §. 34. J. de Legat.

§. 8. Hoc autem ante omnia sciendum, circa exheredationem Romanis non semper idem jus fuisse. Itaque quod diximus patrem oportere liberos suos aut instituere, aut nominatim exheredes facere, olim etiam obtinebat, sed in liberis masculis, & primi gradus, scilicet filiis (uti ex præmissis constat) Jam tamen natis & sub patris potestate constitutis, sive naturalibus, sive legitimis seu adoptivis, nascendis etiam sive posthumis & filiis deinceps. pr. §. 12. & 4. Inst. h. t. Filia verò & cætera foemini sexus personæ inter cæteros exheredari poterant, modo illis aliquid relinqueretur, ne per oblivionem præteritæ viderentur,

§. 9. Accessit postea Prætor, qui ex æquitate juris præteritis etiam emancipatis bonorum possessionem contra tabulas testamenti dedit §. 3. l. hic. l. 4. ff. de bonor. possess. contra tabul.

§. 10. Sed jure novo sexus, l. 4. C. de liber. præter. vel exhered. & emancipationis discrimine non attento, omnes liberi sive mares sive foeminae, sive filii & filiae, vel nepotes & neptes, aut ulteriores per virilem sexum descendentes, tam nati quam posthumi, nominatim institui vel exheredari debent, certâ causâ eaq; legitimâ allegata.

§. 11. Antea quidem pater non tenebatur causam allegare, sed heredi instituto licebat causam exprimere, imò ubi testator nullâ exheredationis causam expresserat, filius exheredatus probare cogebatur se morigerum fuisse & obsequentem. l. 5. §. 1. ff. de inoff. testamēt. l. 28. C. eod. nisi scripti heredes mallent ostendere contrarium. l. 30. l. 27. C. s. alleg. §. 12.

24
§ 12. Nonnunquam tamen exhereditatio valet, licet causa non expressa sit, ut annotavit *Guil. Benedic.* e. g. si pater filium bonâ mente exheredaverit, *l. 18. ff. d. lib. & posthum. l. 12. §. 2. de bon. liber.* non ut ei oblit, sed ut ei bene consulat, siue dum filius consentit, ut ita exhereditatio cum ipsius voluntate peragatur, *l. 8. §. 6. ff. d. bonor. possess. contra tab.* sic miles sine causa allegatâ filium exheredare potest. Ejus enim voluntas pro testamento sufficit. *l. 1. ff. d. milit. testam.*

Guiliel. Benedic. in c. Raynuttius ad verba: in eodem testamento relinquens 2. n. 18 & seq.

Th. III.

Exheredare possunt parentes, tam pater quam Mater liberos suos, imo & liberi Parentes & Frater Fratrem.

Expositio.

§. 1. Exhereditatio fieri potest ab illis, quibus ingrati succedere possent, non ab aliis, v. g. à parentibus, à filiis & fratribus. Parentum nomine communiter venit & avus & avia, proavus & proavia. *l. 51. ff. de V. S. liberorum* verò, omnes filij filiaq; nepotes pronepotes. Hos enim omnes *lex 12. tabb. liberorum* appellatione complectitur, *l. 56. §. 1. l. 220. ff. d. V. S.* imo & posthumi intelliguntur, *§. fin. l. qui testam. tutor. dar. poss.*

§. 2. Posthumi vox dupliciter capitur, propriè vel impropiè. Propriè pro eo qui post mortem patris nascitur, Impropiè (ratione subjectæ materiæ) qui ante mortem quidem patris nascitur, sed respectu testamenti facti posthumus dicitur. *l. 3. §. 1. ff. d. Injust. rupt. irrit.*

§. 3. Hinc quæro an posthumus exheredari possit? Olim posthumos patres exheredare potuisse omnino non dubitatur, *§. posthum. l. 1. d. exhered. liber.* Facile tamen eorum querelis aures prætor accommodabat, *l. 6. ff. d. in ff. testam.* cum ingratitude suâ liberi in ventre exheredationem hujusmodi iniquam non sint promeriti. Sed non mirum est: Parentum enim id juri patrio nimis rigorofo acceptum referendum est, cum & occidere licebat, ut ait *JCtus in l. 11. ff. d. liber. & posthum.* Sublatâ verò patriâ potestate hâc nimium rigorofo, & hoc correctum jure novo esse, cum *Cuiacio & aliis statuimus. Novellâ quippe us. 6. 3. pr. dispositum,* *Cuiac. ad l. placet. 40*

A 3

ut

f. d. lib. & posthum. Accurs. in l. si quis 33. §. legis 1. super verbo existimabi. C. d. in off. testam.

ut causa exheredationis nominatim à patre exprimat: verum, quæ quæso in non natum causa ingratitude cadit aut cadere potest? *l. 33. §. 1. C. d. in off. testam.* aut quâ culpâ is, qui neq; scientiæ neq; intellectus neq; doli particeps, promereri poterit, ut de successione paterna, beneficio naturæ & legis ipsi debita, detrudatur. Quod si ergo facta exhereditatio posthumi tentetur, ipsa utpote contra legum præcepta facta pro nulla habetur, *arg. l. 5. C. d. l.*

§. 4. Filij hîc nō modo legitimi, sed & legitimati intelligi debent, ut & hos pater expresse in testamento, vel heredes instituat, vel exheredes nominatim faciat, per. *l. 10. in fin. C. d. natural. liber Nov. 74. c. 2. c. 1. c. 6. X. qui filij sint. legit.* ex ratione hujus *Novell. 74.* quod scilicet cum lege ipsa natura concurrat.

§. 5. Atq; ita videmus similem, sed non tantam observationem esse circa adoptivos, in quibus sola lex dominatur. *l. 1. pr. ff. d. adopt.*

§. 6. Diximus quidem vocabulo parentum venire & aviam & proaviam, sed tamen aliud in hujusmodi personis constitutum. Mater quippe & avus maternus, non coguntur liberos suos vel heredes instituere, vel exheredare, sed possunt eos silentio præterire vel omittere. Et hæc præteritio ejusdem valoris est, cujus exhereditatio paterna, *l. 4. §. 2. ff. d. honor. possess. contra tab.* cujus legis ratio est, quod suos heredes non habeant, quia liberi non sunt in eorum potestate. *§. 10. l. d. adopt. l. 5. C. d. adopt. l. 13. ff. de suis & legitim.*

§. 7. Idem quoq; asserimus de milite in castris & expeditione occupato, de quo *§. 6. l. d. Exher. lib.* loquitur, adeo ut si quis miles sciens liberos prætereat, exheredare videatur, ut ex silentio ipsius colligatur voluntas *l. 7. ff. d. milit. test. l. 9. C. cod.*

§. 8. Sed videamus exheredationem parentum, à liberis factam, quæ quoad filios familias, contingit in peculio.

§. 9. Peculium quadruplex est. Profectitium, Adventitium, Castrense & quasi castrense: profectitium proficiscitur à bonis paternis; nam filij, quibus patres merces tanti vel tanti vendendas tradebant, si pluris venderent quam quanti parentes eas aestimassent, peculium hoc modo sibi constituebant, uti loquitur *Plautus in mercatore:*

alof. in l. 6. C. d. bon. que liber. ad verba. exceptis castrensis.

LACTAN

29

*Lucrum ingens facio, praterquam meus mihi pater
Dedit estimatas merces, ita peculium
Conficio grande.*

§. 10. Hoc peculium profectitium pleno jure patris est l. 6. C. d. bon. qua liber. Et nec filius in eo testamentarium nec legitimum heredem habere potest. Ex quo consecrarium, quod nec quinquam exheredare queat. Adventitium est, quod non ex bonis paternis, sed aliunde, suis laboribus, vel prospera fortunâ filius sibi extra casum togatæ militiæ, & officii publici juxta l. ult. C. de inof. test. acquirit, cujus proprietates filii l. 2. C. d. bon. matern. l. fin. C. d. collat. usufructus patris l. 6. l. ult. §. 1. C. de bon. qua liber. Et de hoc filio in potestate constituto, nec testandi nec exheredandi licentia est. l. quecunque l. cum oportet. 6. C. de bon. qua lib. l. pen. C. qui test. fac. poss.

§. 11. Castrense est, quod in militia vel ejus occasione acquiritur. l. 1. C. de castrens. pecul. lib. 1. Hoc autem pleno jure liberorum est. Impm enim, qui præmio adolescentes ad militiam invitabant, castrense peculium iis, pleno jure concesserunt. Sicut *Juvenalû* militiæ præmia recensendo hunc in modum canit:

Solis præterea testandi militibus jus

Vivo patre datur: nam quæ sunt parta labore,

Militiæ placuit, non esse in corpore census

Omne tenet cujus regimen pater. Ergo Coranum

Signorum comitem castrorumq; are merentem

Quamvis jam tremulus capiat pater; hunc labor æquus

Provehit & pulchro reddet sua dona labori.

§. 12. Quasi castrense ex militia togata, & officiis publicis filio obvenit, l. ult. C. de inof. testam. l. 25. ff. d. collat. §. ultim. l. de milit. testam. In hisce duobus posterioribus; pro patribus familias filii familias habentur: ut etiam testari de iis queant, l. 2. ff. ad SCem Macedon. §. fin. Inst. de milit. testament. Filii itaque familias in hoc peculio ultimo uti & patres familias in suis bonis parentes exheredare possunt, sed tamen non absque causa.

§. 13. Harum causarum 8. annotatæ Nov. us. c. 4. numerantur, quæ pauciores sunt infra recensendis causis, ob quas pater fili-

osexheredare potest. Cujus hanc do rationem, quod plus filii possint committere adversus parentes, quam hi contra filios: persona enim patris filio semper honesta & sancta esse debet. *l. 9. ff. de obseq. parent. & patron. praestand.* Quo ergo quis majus alteri debet obsequium, majorem honorem & reverentiam, eò facilius & plus in eum delinquit. Quidenim si filium pater verberibus si convitiis exceperit, aut quoquam simili? Annon hoc patri, cui de-

cens corrigendi liberos atque emendandi potestas relicta, condonabimus? an filio è contra jus talionis indulgebimus?

*Malicarn.
lib. 2. pag.
153. Stob. 29
serm. 77.*

*Val. Max.
lib. 5. c. 8.
Flor. l. 1. c. 5
Bodin. lib.
1. d. rep. c. 4*

§. 14. Irima causa est si pater filium de crimine capitali accusaverit, sicut hujusmodi exemplis historiae refertur. Hic tamen crimen laesae Majestatis excipitur. *Novell. all. c. 4. c. 1.*

§. 15. II. Si filius probaverit quod pater vitae ipsius insidiatus fuerit. *d. Nov. §. 2.* parentes quippe lenis potius quam atrox & immanis decet animus. *l. 5. ff. ad l. Pompei d. parricid.* Unde & Solimanni memoria ab Historicis sutorio atramento notatur, quod Mustapham filium suum natu majorem strangulaverit: natu minorem biduo ingemiscentem veneno sustulerit; minimum securi percusserit.

*Camerar.
part. 1. me-
dit. succi-
ff. c. 88.*

§. 16. III. Si pater nurui vel concubinae filii se applicuerit. *d. Nov. §. 3. §. affinitatis. c. I d. nupt.* Foedissimum hujus generis factum, perpetrante historiae clamitant Henricum II. Anglorum Regem, qui nurui stuprum per vim intulit.

*Gerhard.
citans Hon-
dorff. di-
sput. 5. lb.
43.*

§. 17. IV. Si pater filium testari prohibuerit in iis rebus in quibus testandi licentiam habet

*Just. lib. 37
ante fin.*

§. 18. V. Si Pater veneno dato vel alio modo insidiatus fuerit vitae & sanæ menti uxoris, vel si mater ita insidiata fuerit marito §. 5. Ita Laudice, ut commissa adulteria tegeret Mithridati Regi, & marito & fratri suo venena paravit, quem tamen, ab ancilla adnotum, facinus in autores vindicasse tradit Justinus

§. 19. VI. Si pater filium in furore constitutum curare aut nutrire neglexerit, §. 6. non enim boni neque liberalis parentis est, inquit Cicero, quem procreavit non alere & vestire. Imo si quis filio alimenta & vitae necessitates non suppeditaverit, eum necare videtur, *l. 4. ff. de agnoscend. & atend. liber.*

29
§. 20. VII. Si filium captivum non redemerit. c. 4. §. 7.

§. 21. VIII. Si parentes sint hæretici, §. 8. c. 4. Hæc causas ver-
ficulis sequentibus inclusas refert Hilliger:

Hilliger,
lib 6. c. 2. 49
ad lit. Ca

Si capiti natum pater accusaverit: ejus

Aut vitæ insidias clamvè palamvè struat.

Si vetuit cupidum secreta novissima mentis

Prodere: nec veritus sit temerare nuntium.

Si pater aut genitrix sibi fata scelestaminiatur,

Fulcra nec adnati clausa furentis eant.

Filius auxilio si non patris hostica linquit,

Limina si genitor numen inane colat.

§. 22. Restat ut dicamus, qua ratione frater fratrem à sua hereditate pellere possit. Hoc verò accidere potest ob tres causas
1. Si frater per insidias fratri mortem intentaverit. 2. Si criminaliter illum accusaverit. 3. Si ejus substantiæ jacturam inferre studuerit. Nov. 22. c. 47. Et hæc causæ memoriæ ergò inclusæ sunt...
versiculis sequentibus:

Pellitur à fratre frater causis tribus, ut si

Arguit hunc sceleris, vel ei vult tollere vitam,

Vel si jacturam rerum sibi moverit unquam.

Th. IV.

Parentes liberos ab hereditate & successionis
jure pellere possunt ob quatuordecim causas Nov.
118. approbatas.

Expositio.

§. 1. Indultæ sunt specialiter parentibus 14. causæ, ob quas liberos suos exheredare possunt, quarum quædam patriam potestatem adhuc hodiè durantem, quædam jus naturæ concernunt.

§. 2. Prima est, si quis parentibus manus intulerit. Persona enim patris (uti præced. exposuit §. 13. diximus) filiis semper sancta & inviolabilis esse debet. Et parentes natura ipsa venerari præcepit, l. 1. ff. de obseq. parent. Nov. 22. c. 21. Unde historiæ attestantur, liberos, qui patri aut matri injuriosas manus intulerunt, etiam defunctos singulari & notabili penâ affectos fuisse.

B

§. 3.

§ 3. II. Si gravem & inhonestam injuriam parentibus ingesserit. d. c. 3. § 2. parentes enim liberi honorare non aspernari debent.

Menoch. qui & alios citat. lib. 2. de arbit. Ind. Centur. 3. cas. 267. n. 7.

§ 4. Sunt qui statuunt, hanc causam generalem esse, sub qua omnes aliae in hac *Novell.* non expressae subintelligantur. Sed error est. Mens quippe fuit Imperatori discrimen faciendi inter injuriam realem & verbalem: Illam itaq; in § 1. hanc sequenti tradit. Sic *Ulpianus l. 1. §. 2. G. 3. ff. d. obseq. parent. & patron. praestant.* eodem ferme modo realem injuriam à verbali, distinguit. Præterea id confirmat verbum ingesserint, quod plerumq; verbalem injuriam solet denotare, uti inquit *Comicus*: ingeram mala multa, h. e. maledicta.

Corn. Tac. lib. 14. an

§ 5. III. Si parentes in causis criminalibus accusaverit; ubi excipiendae causae quae Principem & Rempub. concernunt, § 3. in quibus impune liberi parentes accusare possunt, uti exemplum refert *Corn. Tacit.*

§ 6. IV. Si cum hominibus maleficis versetur, § 4. i. e. in maleficorum societate sit.

§ 7. Per maleficos non quivis malefactores intelliguntur, sed qui incantationes vel magicas artes, vel veneficia, vel alia similia crimina perniciosè exercent, de quibus in *l. 4. l. 5. vers. Chaldaei. l. 7. C. d. malefic. & mathematic.*

Tacit. lib. 14. annal. Suet. in Nerone c. 33. Jobius lib. 5. p. 245.

§ 8. V. Si vitae parentum suorum veneno, aut alio modo insidiari tentaverit. § 5. Prohibitum namq; est alium quemvis occidere, ergo multo magis parentes necare. Non enim major ingratitudo, non majus peccatum existere potest, quam illius vitae insidiari, à quo vitam ipse trahit. *Neronis & Selymi Turcici Imperatoris* horrenda exempla non referam.

§ 9. VI. Si novercae suae sese immiscuerit. § 6. Detestabile factum. *Aelius Spartianus* refert de *Caracalla*, quod, ipsius *Novercæ*, pulcherrimè ferme mulierum, oscitanter magna ex parte corpus suum nudante, *Cæsar* dixerit: *Vellem si liceret.* Cui ipsa respondit. *Si libet licet: an nescis te Imperatorem esse, & leges dare, non accipere, quibus commotus verbis in execrandum facinus consensit.* Sed hisce & similibus exemplis historiae cum

29
cum repleta sint, plura allegando tempus & chartam perdere o-
peræ pretium non duco.

§. 10. VII. Si delator contra parentes extiterit, atq; per dela-
tionem illam gravia eos dispendia fecerit sustinere, §. 7. Debet
enim filius negotia paterna utiliter potius promovere, quam de-
trimentose impedire, propter patriam potestatem; cujus inter a-
lios effectus hic est, ut quicquid filius acquirit patri suo acquirat.
§. 1. & 2. *Inst. per quas person. nob. acquir.*

§. 11. VIII. Si filius rogatus, pro patre ob debita carceri in-
cluso, fidejubere noluerit, §. 8. Ingratitudinis enim species est,
patrem à quo vitam spiritum & initia nostræ fortunæ habemus,
egenum derelinquere, nec auxiliarem ei manum præbere.

§. 12. Insigne gratitudinis hujusmodi nobis relinquit exem-
plum Æneas, qui patrem suum non ex carcere, sed ipso igne cum
maximo vitæ discrimine liberavit, & hisce pietatem patri decla-
ravit:

*Ergo age Chære pater cervici imponere nostra
Ipse subibo humeris nec me labor iste gravabit,
Quo res cunq; cadent unum & commune periculum
Una salus ambobus erit.*

*Virg. 2o
Æneid.*

§. 13. Cimon Miltiadis Atheniensis filius, cum pater ipsius ob
crimen peculatus carceri mancipatus in vinculis publicis decede-
ret, vincula & carcerem in se transfudit, & patri sepulturam
curavit.

*Corn. Nepo
in Cimon.
in initio.
Justin. lib.
2. Valer.
Maxim.
lib. 5, c. 3o.*

§. 14. IX. Si filius parentes testamentum condere prohi-
buerit.

§. 15. X. Si liberi arenariis & mimis se associaverint, præter
voluntatem parentis. §. 10. Tali enim inhonesto consortio fami-
liæ paternæ maculam inferunt.

§. 16. Arenarij seu bestiarj dicti sunt propterea, quia in are-
nam (loca enim ubi certamina peragebantur arenâ spargi sole-
bant) pugnandi causa cum bestiis pro mercede se conferebant.
l. 38. ff. d. oper. libert. l. 1. §. 6. vers. bestias. ff. d. postuland.

§. 17. Mimus est, qui voce & factis ludicram artem sectator,
quod vocabulum idiomate germanico vertunt Gaußler/ Seyl-
tänker.

§. 18. XI. Si filia parentibus ipsi bonis & honestis conditionibus maritum quærentibus & dotem congruam offerentibus non consenserit, sed turpem & luxuriosam vitam elegerit, §. 11. c. 3.

§. 19. Luxuriosam namq; vitam conjugali non debet præferre, conjugium quippe est status à DEO institutus ac ordinatus in ipsius gloriam & hominum multiplicationem. Quod si verò parentes filiam post 25. ætatis annum viro copulare distulerint & ea tum forte ex carnis imbecillitate in suum corpus peccaverit, exheredari nequit, cum hoc non ipsius culpâ sed parentum accidisse intelligatur, *auth. sed si post. C. de inoff. testam. d. §. 11. v. si verò usq;.* Unde pereleganter scripsit quidam, qui scripsit in arte sua amandi:

Filia non parcens à lustris quinq; pudori

Heres in viti patris habebit opes.

Ipsè sibi culpam pater, est opus, imputet omnem,

Exiit illius qui mala causa mali.

Stultus, id ætatis qui gnarum in calibe lecto

Degere torpentem vult gelidog; thoro.

§. 20. Properamus ad XII. causam, quæ est: Si liberi parentem furiosum curare vel nutrire neglexerint, atq; is sanæ mentis postea factus testetur. *all. Nov. c. 3. §. 12. & Auth. liberi. C. de Epis. audi.* Quod si verò in ipso furore decesserit, filio tanquam indigno hereditas adimitur, & ei, qui ex charitate Christiana illius furiosi curam suscepit, adjudicatur, *l. 3. ff. de his quæ ut indig. d. §. 12. & d. Auth.* Quod ipsum Cuiacius ad patrem ægrotum inopem, & imbecillè extendit.

*Cuiacius
ad Nov. 18.
post medi-
um.*

§. 21. XIII. Si liberi parentem captivum non redemerint, §. 13. Tum enim ab eo postliminio reverso jure exheredantur. Quod si vero in ea captivitate decesserit, tamen hereditas ipsis adimitur, & Ecclesiæ datur.

§. 22. XIV. & ultima est, si liberi fuerint hæretici neq; Religionem Christianam orthodoxam amplectantur, *§. 14. de cap. 3.*

§. 23. Hinc quærimus, si pater quispiam in Imperio nostro Romano-Germanico pontificiæ, filij vero Lutherani religioni addicti fuerint, an pater filium exheredare possit? Acriter sanè de hac controversia disceptatur à plurimis, Ego verò, si calculum

aliqui

29
alicui parti adicere debeam, in negantem propter pacis Religio-
sæ constitutionem publice promulgatam inclinabo. Hacce enim
constitutione utraq; religio in Republica Romano-Germanica
toleratur, adeo ut quis sine bonorum & famæ jactura vel Pontifi-
ciæ vel Lutheranae religioni adherere possit.

§. 24. Hanc Papa, dum ipsi nulla neq; in Imperium neq; in Im-
peratorem potestas competit, abrogare nequit, ut ut alij eandem
per Concilium Tridentinum sublatam adstruant. Has quatuor-
decim causas versiculis incluserunt sequentibus.

Bis septem ex causis exheres filius esto,

Si patrem feriat, vel maledicat ei.

Carcere detrusum si negligat, & furiosum

Criminis accuset vel pareat insidias,

Si dederit damnum grave, si nec ab hoste redemit,

Testari vè vetet, se sociari vè malis.

Si mimos sequitur, vitiazq; cubile paternum.

Non orthodoxus; filia si meretrix.

§. 25. Controversum est apud DD. An plures causæ exhere-
dandi Nov. 115. c. 3. enumeratis dentur? Nec affirmativa nec ne-
gativa rationibus destituitur prægnantibus, sed nos posteriori
turmæ nostræ vexilla jungimus. Jus enim Novellarum jus est no-
vissimum, & sic reliquarum legum correctorium.

§. 26. Unde & ipse Justinianus profitetur, se causarum, ex qui-
bus liberi ingrati judicentur, in diversis legibus dispersarum non-
nullas omisisse, quasdam etiam adiecisse, ut de legitimo earundem
numero certi esse possimus, & nemini liceat, plures effingere,
præter illas, quæ in Nov. nominatim & expresse continentur.

§. 27. Taceo exheredationem esse maximè odiosam, l. 19. in
fin. ff. de liber. & posthum. & sic ipsius causas potius constringi, quam
dilatari debere, l. 32. l. 42. ff. de pan. c. in penis. 49 d. Reg. Jur. in 6.

§. 28. Ex quo pronò, ut ajunt, fluit alveo, Patrem filium ob
sumptus in Academiis nimios, vel malè collocatos non statim
semper vè posse exheredare: Non modo enim inter relatas 14.
causas hæc non numeratur, sed & aliàs ex bono fundamento, ob
melioris scil. vitæ & probitatis spem quæ parentem meritò

B 3

fovet

Connano
Lib. 9.
Comment.
Iur. Civ.
c. 10. n. 6.
Treat. diff.
13. Thes. 8.
606. 1.

fovet, rejicienda est. Tum namq; præsertim cum præcedens hocce
juventutis delictum, & largius aliquanto quam par est facta pecu-
niæ erogatio subsequente parsimoniâ & futura vitæ frugali-
tate resarciri possit, filium ab honesto & laudando omniq;
promotione digno emendandæ vitæ proposito & conatu per-
exheredationem avertere, eiq; desperationis ansam suppeditare
& ad alia graviora perpetranda fenestram aperire, non paternæ
pietatis, sed tyrannidis esset.

§. 29. Præterea liberos Parentes alere tenentur, *l. 50. ff. famil.
herciscund.* adeo, ut qui filio de alimentis non prospiciat, ipsum
necare videatur, *l. 4. ff. d. agnoscend. & alend. liber.* Nihil e-
nim interest, occidat quis, an mortis causam præbeat, *l. 3. ff. ad L.
Cornel. d. ficar.*

§. 30. Deniq; sumptus in literarum studia à patre vivo facti,
in hereditatis paternæ divisione in collationem non veniunt, *l.
qua pater. 50 ff. famil. herciscund. l. 11. §. nec castrense. ff. d. collat.*
& non modò Patrem sed quemlibet eorum misereri decet, qui stu-
diorum gratia peregrinantur, *Auth. Habita. C. ne filius pro patr.*
Studiorum gratia enim qui abest, Reip. gratia abesse intelligitur,
l. 18. §. 1. ff. d. judic.

Th. V.

Tollitur exhereditatio querelâ inofficiosi, si
testamentum conditum est, in quo sine justa causa
exhereditatio facta. Item bonorum possessione.

Expositio.

§. 1. Exheredationis fulmen in se derivatum averti potest per
querelam inofficiosi, quâ contra heredes institutos inique exhere-
dati testamentum in officiosum coram judice dicunt, & rescindi
& ad causam intestati redigi postulant, *l. 17. l. 19. ff. d. inoffic. te-
stam. l. 31. C. eod.*

§. 2. Indulta est inofficiosi querela liberis utriusq; sexus ex-
hereditatis à patre, vel præteritis à matre, *l. 1. l. 2. l. 3. l. 4. l. 5. l. 8. §.
6. d. in offic. testam. l. 2. l. 8. l. 31. C. eod. §. fin. Inst. d. exhered. lib.*
Non verò datur contra testamentum patris militis, *l. 9. l. 14. l.
ult. C. hoc tit.*

§. 3. De

§. 3. Deinde & parentibus, siue liberos in potestate habeant siue non, modo ipsis ab intestato fuissent successuri, *l. 1. l. 14. ff. h. t.*

§. 4. Deniq; datur fratribus germanis vel consanguineis, non tamen simpliciter prateritis, sed si turpibus personis fuerint posthabiti, *l. 27. C. h. t.*

§. 5. Hinc quaeritur, si spurius heres institutus sit, an fratri inofficiosi querela competat. Quod, licet nonnulli negent, affirmamus.

§. 6. Ex inquinatis enim natalibus & Venere improbatâ progenerati à macula non sunt immunes, *arg. si qua illustris. §. C. ad SCtum Orfic.* Atqui fratri contra fratris testamentum datur querela inofficiosi, si scripti hæredes vel levis notæ maculâ adpersi sint. *d. l. 27. C. de inof. test.*

§. 7. Porrò inofficiosi querelâ propositâ, non solùm testamentum rescindimus, sed etiam hereditatem vindicamus, quod ita tamen intelligi volumus, ut non cum ea confundamus hereditatis petitionem: multis enim modis inter se differre liquet ex *l. 6. §. 1. ff. h. t. l. 1. C. eod.*

§. 8. Diximus testamentum rescindi. Ubi quaestio est, an, etiam extinguantur Legata, Libertates, Fideicommissa &c. Quod nego, sed saltem heredis institutio, *Nov. 115. c. 3. in fin. C. cap. 4 in fin. auth. ex caus. C. de lib. prater.*

§. 9. Bonorum possessione quoq; exhereditatio infirmari potest, *§. 3. Instit. d. exher. lib.*

§. 10. Est autem bonorum possessio jus à Prætoze indultum persequendi, retinendiq; siue patrimonij siue rei, quæ cujusq; cum moritur, fuit, *l. 3. §. 2. d. bonor. possess.*


§. 11. Atq; in eo differt à querela inofficiosi, quod hæc detur contra heredem, bonorum possessio contra testamentum, licet nemo heres extiterit, *l. 4. pr. l. 19. ff. d. B. possess. contra tab.*

§. 12. Da


§. 12. Datur bonorum possessio filiis emancipatis, siue iis, qui
sui heredes futuri fuissent, nisi ex potestate exissent, l. 4. §. 1. & 2.
ff. de bonor. posses. cons. tab. Licet & illis detur in officiosi querela
l. 8. pr. de bon. poss. cons. tab l. 3. in fin. de iuof.
est. Tantum.

LAUS DEO.





Ad Dn. Respondentem-




Ngenij partus non est spernendus,
Amice,

Quem profers, & quem monstrant
hæc lemmata. *Iusti*

Qui sint hæredes, Exhæredatio quid sit,
Ostendis. Similes studiorum pergito fructus
Edere. Laus & honor sunt præmia grata laboris.
Est, fateor, pulchrum patri succedete nummis
Pollenti: longè melius virtute valentes
Atq; pios proavos imitari. Præstat utroq;
Hæredem fieri regni post fata beati,

scrib

PRÆSES.



Ad Dominum Respondentem

Commensalem suum dilectum.

Qui Clarior inter celeberrima fama ministros
Pergis honorati vincere vota Patris:

C

Cerne

Cerne frequentatos Themidos, cultissime, plausus
Qui Tibi sudoris præmia justa ferent.
Et cum sis patria Virtutis splendidus heres,
Non Te exheredem Laus finet esse sui.
Quam PATER amplexus, sequeris Tu; quamq; fo-
vebit.
Laudibus egregiis sedula posteritas.


Friderich Clatten, J. D.



Quam gnavus Themidos fuerit DREBBERUS a-
lumnus,
Publica, quæ profert, hæc documenta docent.
Pergat ita; & dignos referet Virtutis honores
Quod precor; O votis annue Christe meis.

*Non tam moris quam amoris & honoris
ergò hac adposuis*

Christophorus Uldericus
à Burgstorf / Nob. March,




Invenit spes nostra viam, famamq; fidemq;
Transcendit, pondus nunc habitura suum.
Indefessa tuos DREBBERE industria Momo
Suffundit tacito namq; rubore hodie

Dum

29
Dum specimen toti macte hac Virtute! Lyceo
Eas & applaudunt docta tibi ora virum.
Felix cui parili contingit mergere passu
Infensâ quamvis, ad decus, invidia!
Hoc age, jam quod agis, laurus imitare superbas
Quò magis opprimeris, nitere contra magis.

Nicolaus Schwabe/
Rendesb. Holfat.



SCAZON.

Tiryntius Mas, qui Tri-Nocte prognatus
Cælavit ausu grande clima bisleno:
Dum palpicaret, fulminis sacri proles
Cunasq;, visa est sarcina esse queis celi
Pondus, lacerti, Vi gravante jactarent;
Angues veneno circinante squamosos
Artus rotantes, turbidiq;, proserpunt
Cunas adorti. Sed novum jovis pullum
Nil tanta terrent. Splendidi memor celi
Memor Parentis, bina monstra, despumant
Dum trux venenum saniemve: compressit,
DREBBERE noster, numquid alter Alcides
Quæ nos fatigant, multa monstra, discernis,
Cum nec Voluptas pestis Herculis summi

Nec


Nec te labores improbi probum frangant?
Hi sunt, morantur qui novem deas, angues,
Quos tu serenis viribus triumphatos
Sistis Parenti. Dulce, Grande, spectaclum,
Sic Te manebunt, quæ viros decent laudes.
Evax Quirites! Talibus vigent pullis
Honos Themistos, seculiq; Majestas.

*Ita, praeclarissimarum Minarum
Summae, spei Juveni
adclamantis*


Conradi Thamnit I,
Thoruniensis.



29







quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 1615. vagabundus quidam homo co-
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniae
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 poenam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publice jactaverat, quem postea
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata a *Valer*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-
 ma apud Historicos aliosq; scripto-
 inter quae notissimum est illud Plau-
 pta forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut e bello rever-
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

